

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. Some words are written in red ink (rubrication).]

communicata
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. v. Maxyß
1831 oho

DE DICTO CHRISTI,
BEATI PVRO
CORDE, ETC. CARMEN SCRIP-
PTVM IN HONOREM HONE-
stissimi & doctissimi Sponsi, D. Benedi-
cti Boscholdi, & castissimæ Virginis
Catharinæ, Filiaë Iohannis Rhauu,
Quæstoris quondam VVite-
bergenfis Academiaë,



A V T O R E
FRANCISCO RAPHAELE
HETSTETENSI.



VVITEBERGAE,

Anno 1556.

DE DICTO CHRISTI: BEA
ti puro corde, quia DEVM uide
bunt, &c.

IAm stabat mundi moles, concretaq; uerbo
Machina congemuit pondere pressa graui:
Cum pater archetypus, qui cingit numine mundum,
Visurus uerbi prodijt acta sui.
Vidit, & hæc bona sunt, inquit. Nam prouida mentis
Cura meæ, uerbo condidit ista nouo.
Et suus usus inest, dum respicientia finem
Quæq; bonum, causas utilitatis habent.
Restat adhuc nobis similis quæ fiat imago,
Quam sciat exemplum quilibet esse DEI.
Nam mea cum totum cingat sapientia mundum,
Nec bonitas ipso clausa latere queat.
Mens quoq; nil aliud quàm casta sit: Ecqua placebit?
Æmula ni menti fiat imago meæ.
Luceat ergo homini sapiens, decus & data norma,
Turpia perpetuò culpet, honesta probet.
Hanc uolo non tantum multis è millibus unus,
Sed secum, quisquis fiet imago, gerat.
Qua monitus, quoties ad se respexerit ipsum,
Archetypum talem me sciat esse suum.
Nec ruat imprudens in flammis quaslibet ardor,
Perpetuò iuncti sed duo casta petant.
Sic ait, & uerbo, reliquum quo condidit orbem,
Diuersi sexus iussit adesse duos.
Quos uocat ad leges thalami, coramq; Sacerdos,
Fœdera coniugij non uiolanda sonat:

In caris

In carnem duo sint unam, uir foemina iuncti,
Perpetuò foueant, quem subiere, torum.
Vult igitur castas in nostro pectore flammam
Lucere, & sapiens cum bonitate decus.
Quod si cui nunquam sub pectore nata libido est,
Nec curas aliquo sensit amore graues,
Sed celebrare Deum potuit sine coniugis usu,
Et castas casta fundere mente preces:
Hunc Deus ornauit, nec habet cur coniugis usum
Appetat, ille potest castus amare Deum.
Huic cecinit Christus: Benedicti pectore puro,
Præsentem dabitur nanq̄ uidere DEVM.
At si quis tacitum perferit pectore uulnus,
Et spurcæ Veneris carpitur igne graui,
Fæda uoluptatis non querat semina cœptæ,
Indulgens animo molliter ipse suo.
Sed pugnet, flammamq̄ ad normam examinet illam,
Quam nostræ menti conditor inseruit.
Hæc damnabit opus, toties totiesq̄ monendo:
Impie cur peccas? impia flamma tua est,
Est aliud, quod te faciet castumq̄ piumq̄,
Monstrata est morbo certa medela tuo.
Non qualis ceruo radix lenire dolorem
Dicitur, aut multis gramina nota feris.
Si uir es, uxorem ducas: Aut iuncta marito
Foemina, non unquam transgrediare torum,
Tunc canet & Christus: Benedicti pectore puro,
Præsentem dabitur nanq̄ uidere DEVM.
At Monachi, quibus est uentrem distendere cura,
Quos terret casto uita molesta toro,
Contra etiam quàm certa iubet menti insita norma,
Et normæ illius conditor ipse Deus:

A ij

Quærere

Quærere præcipiunt castam sine coniuge uitam
Ista placet, clamant, unica uita Deo.
At quibus ostendis signis, turpissime uenter,
Illuies fæda, & pondus inane soli.
Displicuisse Deo sociatos fœdere lecti,
Quos DEVS & purus confoxiuit amor,
Tu simulas mores castos, castosq; requiris,
Et tua nescio quid pectora sordis habent.
Nec sine labe geris uitam, prorumpit in actus
Impia mens, quoduis turpiter ausa scelus.
Aspice coniugibus primis Deus ipse sacerdos
Astat, & hæc inquit fœdera sancta placent.
I nunc & dubita, cui uita monastica cordi est,
Connubio uitam posse placere Deo.
Ergo quod hæc Benedicte tuo medicina calori
Quæsita est, pietas non tua laude caret.
Vix bene succensæ sentis uestigia flammæ,
Et motu sensim corda calere nouo.
Cum subito ad normam reuocas, uolensq; subinde
Hæc, ais, hæc multis aucta uenena nocent
Dum licet, atq; malum serpendo acquirere uires
Nititur, à medico quæro salutis opem.
Quæris opem nec te fallit spes anxia mentis,
Dum uolens Pauli scripta sacrata legis:
Quisquis amas, inquit, sine turpi uiuere flamma,
Et sacrum alterius non temerare torum.
Non uiuas cælebs, nec collo improuidus autor
Injice, quæ nequeas uincula ferre, tuo.
Coniugium medicina tua est, cum coniuge uiuas,
Vna tuos ignes prouocet, una leuet.
Viueret sola nequis mulier, cum coniuge uiuas,
Ille tuos ignes prouocet, ille leuet.

Pro filiis

Proflis ista legens, & habent uim numinis inquis,
Hoc quoq; conjugij præcipit autor opus.
Ecce autem dum tu meditando totus inhæres,
Obuia continuo fit Catharina tibi,
Suaue uidens oculis, uultumq; pudore serenans,
Tunc quoq; non dubias edidit ore notas.
Videris an similem dubitas, tacitoq; rubore,
Præ te fers certas mentis & ipse notas.
Attonitum nam forma rapit, calor ossibus hæret
Serpit & occultus per tua membra tremor.
Interea membris nullam dat cura quietem,
Obuersatur enim uisa puella prius.
Soepe petis limen, causamq;, cupidine captus
Ut maneat, fingis, colloquiumq; petis.
Sæpius affaris, mediaq; in uoce resistis,
Et pudet, & uelles iam quoq; posse loqui.
Illa uidens cœptas rupto sermone querelas,
Quid, dubitat, tecum possit & ipsa loqui.
Crebra trahit gemitum atq; ægro suspiria corde,
En mediteris, ait, signa quid ista uelint.
Sed dextræ coëant in fœdus, desine nutu,
Desinito signis, ô Benedicte, loqui.
Intrabit lectum longe pulcherrima Nympha,
Non indigna tuo consocianda toro.
Nam si fortunæ referam bona, Nata parente est,
Qui titulo florens ingenioq; fuit.
Frater erat Rauio, qui iam uolitantia mundo,
Scripta dedit doctis excutienda typis.
Laude nec ipse minor, Quæstoris iussus obire
Munia, qua Albiacis est schola iuncta uadis.
Hoc fata patre tua est. Sed si genus ipsa suorum,
Enumeret, series florida surget auis.

A ij

Non

lis



Non tamen est animus peregrinas quætere dotes,
Vicina externis anteferenda bonis.
Hic mihi quàm latum uideo confurgere campum
Atq; inopem, laudum copia penè facit.
Elucet pietas oculis, reuerentia uultum
Condecorat, similis perpetuò ipsa sui est.
Ardet amore Dei, pœnæq; timore tremiscens,
Languida quo fidei flammula crescat habet.
Non tam mane suos reuocans Aurora iugales,
Præuia uenturum nunciat ire diem,
Quàm Catharina graues depromens pectore curas
Egerit, in gremium depositura Dei.
Sæpius ingeminans: Credo pater optime, credo,
Tu fiat facias hæc mea firma fides.
Orantem casti motus comitantur, & ecce
In leges iurant corporis acta pias.
Ipsa suos uinclis motus constringit, & inde
Nil nisi casta cupit, nil nisi casta sonat.
Forsan habent aliquid fatalia nomina causæ,
Nec temerè hæc Catharæ nomina pura gerit.
Nomina pura gerit, purosq; in pectore motus,
Nec nisi pura petit, nec nisi pura facit.
O Benedicte, satis tandem benedicte, quòd istam
Sic puram, puro foedere mentis amas.
Non tantum quòd amas illam, pulcherrima forma
Causa tibi est, quamuis hæc quoq; causa tibi est.
Alliciunt animi dotes: formæ altera cura,
Altera cura tamen fit tibi cura grauis.
Aspice quàm molles uultus, quantum decus ore
Enitet, accendas inde Cupido faces.
Sunt Oculi testes animi: Quæ crebra rotantur
Lumina, testantur quid uagus hospes agat.

Non

Non rotat hæc orbes oculorum, & ducta per agmen
Audit multorum murmura, nulla uidet.
Sæpe uolant uoces, & inertia uota precantum:
Tam formosa etiam sit mihi sponsa uelim.
Audit, & ad nomen Sponsæ, quasi conscia culpæ,
Commoto uenis sanguine, tota rubet.
Et mallet, quæ præcedunt, coniuncta puellis,
In tam frequenti sola latere loco.
Quid formosa times? Sponsus iam templa subintrat,
Et uix præsentem scit bene ferre moram.
Aspice ut ante alios astat pulcherrimus omnes,
Cui cingit comptam flaua corona comam.
In uultu decus est, animoso in pectore uirtus,
In uerbis grauitas, in grauitate fides.
Virtutum pulcher chorus hic elucet, & esse
Ingentes animos mens generosa docet.
Non deformat Auum, nec, qui genuere, parentes
De gener, idq; decus cur tueatur habet.
Namq; Boscholdorum deducit origine nomen,
Hic magnos longum est enumerare patres.
Quæ fuerit pietas illorum, & plurima uirtus,
Quæ ratio uitæ commoda, quale decus.
Illorum sequitur uestigia præuia patrum,
Et par eximijs moribus esse studet.
Quin etiam pectus studijs exornat honestis,
Et pietate suum uincere tentat Auum.
Quando habiles digitos plectro fidibusq; sonoris
Applicat, ingenij dat documenta sui.
O foelix Sponso tali, purissima foelix,
Tu nomen purum, pectore pura, geris.
Sed media incedens supplex procumbito ad aram,
In leges Sponsi semper itura tui.

Hunc

Hinc unum dominum, quem tota mente petisti,
Ut te suscipiat, supplice uoce roga.
Suscipe Sponse tuam, quam tota mente petisti,
Quæq; petit recipi, suscipe Sponse tuam.
Sic uenit ad Sponsum supplex Ecclesia Christum,
Sic Sponsam placide suscipit ipse suam.
CHRISTE sacri primus qui sancis fædera ritus,
Vinaq; mutatis dulcia fundis aquis.
Huc ades & flammæ fac sint incendia castæ,
Ardeat & geminis firmiter unus amor.
Da uiuat Catharæ **BENEDICTVS** pectore puro,
Et **CATHARA** in sponso sit benedicta suo.
Sic Soboles illis ludat, surgantq; nepotes,
Sic ornet coelum plantula casta tuum.

F I N I S.



153028

AB: 153028

ULB Halle
003 486 044


3



86

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in columns and includes several large, decorated initials in red ink. Some lines are underlined with red ink.]





DE DICTO CHRISTI.
BEATI PVRO
CORDE, ETC. CARMEN SCRIP-
PTVM IN HONOREM HONE-
stissimi & doctissimi Sponsi, D. Benedi-
cti Boscholdi, & castissimæ Virginis
Catharinæ, Filix Johannis Rhau u,
Quæstoris quondam VVite-
bergensis Academiae.



A V T O R E
FRANCISCO RAPHAELE
HETSTETENSI.



VVITEBERGAB.
Anno 1556.